



NEOPOLDUS Divinâ Favente clementiâ electus Romanorum
Imperator semper Augustus ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ,
Dalmatiæ, Croatia, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ,
Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Würtembergæ,
Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium uni-
versis; Quum noster & Imperii Sacri fidelis dilectus PAVLVS FÜRST,
Civis & Bibliopola Norimbergensis Nobis humillimè exposuerit se magno la-
bore & gravibus impensis in communem omnium, præsertim Mathematices Stu-
diosorum utilitatem opera quædam partim latino, partim Germanico idiomate
conscripta, utpote Georgii Andreæ Böcleri, Architecturam curiosam novam;
Item Archimedis in Germanicum translata opera Geometrica, Item Tabulas
Dimensionis triangulorum ex Canone sinuum, calculatæ per Sebastianum Cur-
tium Mathematicum, Item Jacobi Bartschi Planisphærium stellatum, seu viæ
globum Cælestem in plano delineatum; Item Andreæ Goldmayeri Mathematici
opera, ac tandem Habrechtii globum Cælestem & terrestrem, prælo suo commit-
tenda inq; publicum proferenda suscepisse, veneri autem ne eadem opera, post-
quam publicata fuerint, alii etiam quæstus causâ cum ipsius non levi detrimento
temerè emulentur, ideoq; nobis demissè supplicarit, ut se adversus ejusmodi peri-
culum Privilegio Nostro Cæs. præmunire clementer dignaremur. Nos cum eos
qui suo labore suoq; sumptu id efficiunt ut optimi quicq; authores quàm emenda-
tissimi in lucem prodeant, favore & gratiâ nostrâ dignos judicemus, ejus Pauli
Fürst æquissimis precibus clementer exauditis, tenore præsentium omnibus &
singulis Typographis, Bibliopolis aliisque quibuscunque negotiationem librariam
exercentibus interdiciamus ac vetamus, ne quis prædicta opera per dictum Fürst
excudenda, per decennium à primâ editionis die computandum in toto Romano
Imperio regnoq; & Provinciis nostris hæreditarius, simili aut alio quopiam chara-
ctere vel formâ, sive in totâ sine in parte, sine expressa ipsius Pauli Fürsten in scriptis
impetrata licentia, imprimere, aut alibi impressum adducere seu vendere publicè
vel occulte præsumat sub pœna decem marcarum auri puri Fisco nostro Cæsareo
fraudis vindici (præter amissionem librorum, quos ipsi Paulo Fürst, ubicunq; lo-
corum reperti fuerint, per se, vel magistratus, illius auxiliis sibi vindicare inq;
suam